



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1735. usque ad annum 1737

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1786

VD18 90119347

§. 39. Judicialis citatio præfati Prædicantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67868)

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

§. XXXIX.

Judicialis citatio præfati Prædicantis.

Nimis æqua erat Cæsarei Fiscalis petitio, nimis manifesta hujus Præconis culpa, nimisque alti læsæ Religionis clamores, quam ut religiosissimus Imperator ad promeritam vindictam aures ac manus claudere potuisset. Die igitur vigesima octava Februarii anno sequenti datis Vienna literis hunc Prædicantem coram comparere jussit, edito hoc mandato:

Carolus VI. &c.

„Tibi Christiano Münden Ministerii
„Seniori in nostra & Imperii Civitate
„Francofordiensi notum facimus, quod
„noster Cæsareo-Aulici Consilii Fiscalis Dominus Josephus Hageck de Waldstätten perdemisse nobis significavit, quod non modo in tuis Concionibus, ex publica Cathedra Catholicam Religionem, ejusque Divinum cultum illicitis plane convitiis proterve proscindere, sed etiam anno 1737. libellum sub titulo *Smalcaldici articuli publicis* typis vulgare ausus sis, et si hic liber petulantissimis, dirissimisque
„con-

„convitiis passim turgeat : supplicavit Sæc. XVIII.
 „igitur Fiscalis, ut te propter hosce A. C. 1737.
 „ausus tam nostris quam Imperii san-
 „ctionibus de anno 1715. promulgatis
 „edictis prohibitos, minus vero in Con-
 „cionibus & libris divulgandos in mul-
 „ctam viginti marcarum auri incidisse
 „declararemus, prout pluribus in an-
 „nexa copia hujus querelæ videbis.
 „Cum ergo re maturius ponderata, ac
 „poscente justitia hodie decretum fue-
 „rit, ut contra te Fiscalis citatio fie-
 „ret, hinc ex Romano-Imperiali po-
 „testate necnon ex justitiæ æquitatis-
 „que debito te Christianum Münden-
 „Doctorem evocamus & citamus, ut
 „intra bimestre post insinuatam ac pub-
 „licatam hanc Imperialem nostram ci-
 „tationem, quam tibi pro primo, se-
 „cundo, tertio, ultimo & decretorio
 „termino statuimus, & peremptorie
 „decernimus, vel si eo die judicialis Ses-
 „sio non habetur, in proximo vel per
 „te vel per idoneum Procuratorem in
 „Cæsarea nostra Curia, ubicunque tum
 „erit, compareas, ut videatur & in-
 „spiciatur, ante te ob præfatas causas
 „in poenam viginti marcarum auri in-
 „cidisse jure & juste pronuntiari, cog-
 „nosci & declarari possit, vel an gra-
 „ves solidasque causas forte afferre
 „possis, ob quas præfata declaratio
 Y y 3 „non

Sæc. XVIII. „non fiat, ac demum causæ, omnium
A. C. 1737. „vadimoniorum terminorumque finis
 „usque ad rei decisionem & decretorium
 „judicium expectetur. Sive demum
 „tu, utpote accusatus, tum compe-
 „reas, sive non, nihilominus ad Cæ-
 „sarei ac Imperialis Curie Fiscalis pe-
 „titionem præfata causæ cognitio ac
 „declaratio aliaque de jure requisita lo-
 „cum habebunt, prout judicii forma
 „& merita causæ postulabunt. Hæc
 „tibi ad instructionem dicta sunt &c.
 Postea cum citatus Præco comparere
 negligeret, Cæsareo-Aulicum Impe-
 rii Consilium Præsidente Arnaldo Henri-
 co de Glandorff die decima sexta Ju-
 nii decrevit, Prædicanti ex officio bi-
 mestris terminum, intra quem eman-
 natæ citationi sub pœna confessi pare-
 ret, esse indulgendum.

§. XL.

*Francofordiensis Magistratus libellus
 supplex ad Cæsarem.*

Ex communicata Cæsarei Fiscalis de-
 nunciatione & Cæsaris literis ad
 Ministerii Seniores datis Francofor-
 diensis Magistratus rem in præcipiti &
 lubrico stare, probe prospexerat; hor-
 rendas enim illas blasphemias & con-
 vitia